



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Agenda, Sev Ritvale Osnabrvgense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

De Processionibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

# D E PROCESSIONIBVS.

**P**ublicæ sacræque Processiones seu Supplicationes, quibus, ex antiquissimo SS. Patrum instituto, Catholica Ecclesia, vel ad excitandam fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad divinum auxilium implorandum, uti consuevit, qua pars est religione, celebrari debent: continent enim magna ac divina mysteria: salutares Christianæ pietatis fructus, eas pie exequentes, à Deo consequuntur: de quibus fideles præmonere & erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum officium est.

Videant in primis Sacerdotes, aliisque Ecclesiastici ordinis, ut in his Processionibus ea modestia ac reverentia, tum ab ipsis tum ab aliis, adhibeatur, quæ piis & religiosis hujusmodi actionibus maxime debetur.

Omnis decenti habitu, superpelliceis, vel aliis sacris vestibus, sine galeris, nisi pluvia cogente, induit, graviter, modeste, ac devote, bini suo loco procedentes, sacris precibus ita sint intenti, ut, remoto risu mutuoque colloquio & vago oculorum aspectu, populum etiam ad pie devoteque precandum invitent.

Laici à Clericis, feminæ à viris separatae, orantes, prosequantur.

Præferatur Crux, &c, ubi fuerit consuetudo, vexillum, sacris Imaginibus insignitum, non tamen factum militari seu triangulari forma.

Edendi ac bibendi abusum, secum ve esculenta & poculenta deferringi in sacris Processionibus, agrisque lustrandis, & suburbanis Ecclesiis visitandis, tollere Parochi studeant: ac fideles, præsertim die Dominica quæ proxime Rogationes antecedit, quam hæc dedecat corruptela, sepius admoneant.

L11 3 Pro-

*Processiones prius fieri debent, deinde Missa solemniter celebrari: nisi aliter ob gravem caussam interdum Ordinario vel Clero videatur.*

*Processiones autem quædam sunt ordinariae, quæ fiunt certis diebus per annum, ut in festo Purificationis Beatæ Mariæ semper Virginis, & in Dominica Palmarum, & in Litanis majoribus, in festo S. Marci, & in minoribus Rogationum, triduo ante Ascensionem Domini, & in die festo Corporis Christi, vel aliis diebus pro consuetudine Ecclesiarum.*


*Quædam verò sunt extraordinariae, ut, qua variis ac publicis Ecclesiæ de causis in dies indicuntur.*

### De Processione in die Festo Purificationis Beatæ Mariæ semper Virginis.

**C**ompleta benedictione & distributione candalarum, ut in Missali Romano reformato, fit Processio. Et primo Celebrans imponit incensum in thuribulum: deinde Diaconus, vertens se ad populum, dicit:



*Procedamus in pace. & Chorus respondet.*



*In nomine Christi, Amen.*

*Pra-*